Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 617

Quelle:
Copyright:

praefert: *Hyeronimi. Ad. Virgines. Hemonenſes.* et incipit: *Carte exiguitas indicium* &c. Dabo hujus quoque ab Editis differentia:

Edit.	Cod.
Vobiſcum volebam.	Fortaſſe rectius *nolebam*; queritur enim deinceps *Hieronymus* de Virginibus, ad quas ſcribit.
Cogebat tacere.	*Cogebar tacere.*
valuerit prohibere.	*valuit prohibere.*
cum ancillis dei peccatori	*cum ancillis dei et peccatore.*
lavit — edunt.	*lavat — edunt.*

Praeterea *fol.* 60. in *Paulae* Epitaphio verſus *ult.* fortaſſe melius ſic legitur:

Munera portantes Homini, Regique, Deoque,

ut quidem adludat *Hieronymus* ad illud *Juvenci* Presbyteri, quod ipſemet excitat L. I. in *Matth.* c. 3. edit. *Vallarſ.* T. VII. *col.* 14.

Tus, Aurum, Myrrham Regique, Hominique, Deoque &c.

quam, ut eſt apud *Vallarſ.* T. I. *Epiſt.* 108. *col.* 719.

Munera portantes Hominique, Deoque dedere.

Huic quoque Parti ſubjecit Cenſor: *Finiui hanc ſecundam Partem legendo et emendando die XXVI. July 1470.* Verum pluribus locis vacuis Graeca inſcribere neglexit.

Pars III. hoc titulo gaudet: *Sequuntur Rubrice Tercie Partis Scilicet Invectivarum*, et Opuſcula complectitur numero XLIII. partim Epiſtolas, partim Tractatus polemicos, puta contra *Helvidium*, *Jovinianum* &c. quae omnia T. I. et II. *Vallarſii* continentur praeter ſubpoſita tria *Fidei Symbola*, quae ille in T. XI. rejecit. Atque ab uno horum *Pars* praeſens ita inchoat: *Diffinicio Fidei Symboli Nyceni Concilii Translata Per Beatum Hyeronimum.* Apud *Vallarſ.* T. XI. *cit. col.* 149. *Explanatio Fidei ad Cyrillum* audit, hoc initio: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem omnium viſibilium et inviſibilium Creatorem* &c. Variat et hic in commendationem *Codicis* noſtri lectio, ut patet e ſequenti ſpecimine: